MILITANTIS
ECCLESIÆ
ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI, SPLENDIDISSIMIS, NON SOLVM NOBILITATIS, VERVM, ET CVNctarum; litterarum, virtutumque Radijs fulgentissimo Pharo:

EXIMIO, IN CHRISTIANÆ RELIGIONIS zelo; Integerrimo Judici; Panormitanæ Ecclesiæ quondam Magnifico Præsuli, Hispalensis nunc Diœsis Dignissimo Archipræsuli: quid plusvltra? Domino, ac semper Domino, in enarrabilibus colendissimo, ac venerabilissimo stematibus.

D. D. IACOBO

PALAFOX, ET CARDONA. NON PLVS vltra. Tanto ergo D. Has Stellas, in

FIRMAMENTO SCOTICO LVCENTES Religiosissima Patrum Tertij Ordinis S.P.N.S. Francisci Familia Prouinciæ Bæticæ, & S. Michalis, pro Capitulo Prouinciali, in cœnobio Hispalensi, Deiparæ consolatrici Sacro, vnita, affectu dicat, corde consecrat, exorandoque æternam fœlicitatem exoptat.

DEXTERAM, STELLIS ORNATAM, ſeptenario numero incluſis, Euangeliſtæ Ioannis calamus notauit acutus, Apoc.cap.1.v.16 ſcribens: *Et habebat in dextra ſua ſtellas ſeptem*, vbi ſi indextera deitas explanatur, in ſtellarũ ſeptenario lucenti præcellentiæ proponuntur diuinæ; de quibus omnibus cùm Magiſtro agit in 1. ſententiarum ſubtilitatum verè Magiſter, alter inquam Ioannes, Duns Scotus cognomento dictus, humanæ mentis Aquila, cæteris altius volans ad ſtuporem vſque.

STELLA I.

OMNEM excogitabilem perfectionem D. O. M. eſſe tribuendam, & ratio dictat, & fides docet, cum ens ſit excogitabilium perfectiſsimum omnium, cunctam continens perfectionem poſsibilem, cuius Metaphyſica conſtitutio, non ex intellectione, aut volitione, nec ex omnium atributorum collectione conſurgit; conſtruitur potius ex conceptu ſubſtantiæ ſpiritualis infinitè perfectæ eſſentialiter exiſtentis. Cunctam à Deo, ſiuè realem, ſiuè rationis relegamus compoſitionem.

Stella

STELLA II.

VELVTI SOLEM IN RADIjS temperatum, & promicantem in ſuis perfectionibus Diuinam contemplamur naturam; iſtæ ſunt in differentia duplici modales, ſcilicet & attributales, quæ omnes in Deo formaliter inveniuntur, atq; ex natura rei, non ſolum ab eſſentia Diuina; ſed etiam in vicem actu, & formaliter diſtinguuntur. Deus eſt omninò ſimplex, & eius ſimplicitas non eſt ſimplex compoſitionis negatio, ſed formaliter eſt quid poſitiuum, eiuſmodi connotans negationem.

STELLA III.

INVISIBILIS ſimùl, atque viſibilis Deus à ſacris paſsim teſtatur eloquijs: ab oculis corporeis, non tantúm naturaliter, verùm, & ſupernaturaliter in viſibilis, ab oculis mentis naturaliter ſolùm, nam lumine gloriæ, ſiue habituali, ſiue actuali, vel obiectiuo eleuante in tellectum, poteſt ab illo intuitiuè videri. Poſsibilé iudicamus ſpecié impræſsã, Diuinæ eſſentiæ repræſentatiuã; & ſi illã de facto non admittamus. Viſionis beatificæ inæqualitas prouenit phyſicè, non tantùm ex luminis gloriæ inæqualitate, ſed etiam ex inæquali perfectione intellectus beati.

Stella:

STELLA IV.

DIVINO NVMINI SCIENTIAM in esse fides clamat, & sæpè sępiùs scriptura sacra testatur. Nó solùm permodum actus primi agnosci tur scientia Diuina, sed etiam per modum actus secundi: Vnde illa qua Deus dicitur formaliter sciens, non est ipsemet intellectus, sed formalitas quædam, ab ipso ex natura rei discreta. Celebris, & omnium famosissima est distributio Diuinæ scientiæ in scientiam simplicis intelligentię, & visionis, quarum prima ad res possibiles terminatur; secunda veró ad existentes, præteritas, pariter & futuras.

STELLAS V.

VOLVNTATE prędítum esse Deum fide supernaturali constat: Vnde absque hæresis labe, illam nullus denegare valebit. Libere equidem, non libertate contradictionis, vel contrarietatis, suam Deus diligi essentiam, sed essentiali quadam libertate, quæ secum affert immutabilitatis, & in euitabilitatis necessitatem, exclussa necessitate, quę principio in est naturali. Actus liber Dei fertur ad ad creaturas, nō ex-vi motiua bonitatis ipsarum, sed in creatæ, & Diuinę, quæ obiecti formalis munus exercet.

STELLA VI.

SANCTORUM PRÆDESTINATIO, Diuinæ prouidentię primogenita ſoboles, & præclara, eſt ille funiculus triplex, qui difficile rumpitur, ratione, pręſertim, vocationis, iuſtificationis, & glorificationis, quibus illa tota firmatur, & ſtabilitur. Recte deſcribitur à D.N.S. dú dicitur ellectio creaturæ intellectualis ad gratiá, & gloriam; ex qua deſcriptione colligitur, quod eius obiectũ eſt ſola, & omnis creatura Angelica, & humana. Admitimus in Deo decretũ efficax, quo nonnullos Angelos, & homines ab eterno voluit excludere á gloria.

STELLA VII.

TRINITATIS Diuinę Sacramentum ſiſtit in eo, quod vna numero natura in tribus ſit realiter perſonis inuicẽ diſtinctis, & omnimodè ęqualibus. Omnes tres diuinę perſonæ per ſpecialia pręedicata relatiua conſtituuntur; Et licet, diuiná eſſentiá, & attributa dicere perfectionẽ ſimpliciter ſimplicẽ certú ſit inter DD; diſsidiú tamen ſupereſt inter illos circa relationes perſonales diuinas: An, ſcilicet, formaliter cõſideratę dicant perfectionẽ, nec ne? Nos autem pronunc defenſare conabimur, eiuſmodi relationes dicere formaliter perfectionẽ infinitá ſed nõ ſimpliciter ſimplicem.



INCLITO

SERAPHICÆ

RELIGIONIS PRINCIPI;
Necnon

GENERIS, LITTERATVRÆ, ET MOrum, regiminis claritate, vnde quaque conſpicuo;

PARENTEM SFRAPHICVM, AD VIuum, virtutibus referenti:

VTROBIQVE ORBIS, EADEM BIPAtenti luce, ſe ſolo, & ſimul, nedum illuminanti, ſed etiam viuificanti Soli;

CVIVS INFLVXV OMNES, IN VTROque Minorum orbe, Seraphica pace Lætantur, gaudent, & exultant:

Rmo. P. N. FR. JVLIANO CHVMILLAS, in Sacra Theologia Iubilato Lectori, & in hac Ciſmontana Franciſcanorum, Familia, apudque ſimul vniuerſas Indorum Prouincias, totius Ordinis Commiſſario Generali digniſsimo,

SVA HÆC BÆTICA S. MICHAELIS Archangeli, Patrum Tertij Ordinis, pro comitijs Prouincialibus congregata, has Scoti concluſiones ſub ſeptem ſigillis propoſitas, é 2. & 3. Sent. lib. de ſumptas, demore dicat, & ex corde offert.

ET VIDI (AQVILA PATmæa inquit cap. V.) in dextera ſedentis in throno, *Librum ſcriptum intus, & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.* Nempe (ſaltem accommodatitie intellige) tàm viſibilia, quam inuiſibilia dexteræ Dei opera omnipotentis *ad extra.* In quibus, velut in libro, intus, & foris ſcripto, legimus Creatorem. Alia ſunt ordinis naturæ, aliaque ordinis gratiæ. De vtriſque Scotus N. in 2. & 3. ſent. cum Magiſtro. De quibus nos ſelectiora quædam, ſub ſeptem ſigillis ſequentibus defenſanda proponimus.

¶¶¶ *SIGILLVM I.* ¶¶¶

RERVM creatarum omnium, viſibilium, & inuiſibilium, vnum eſt Primum effectiuum principium; nempe vnus Deus O. M., in perſonis trinus. Perſonarum Diuinarum Trinitas, non per ſe, aut ex vi formali, ſed ſolum ex vi materiali (Neceſſario tamen) requiritur ad productionem creaturarum. Solus Deus, cuius virtus eſt infinita, poteſt producere per creationem; creatura vero nulla, adhuc de potentia Dei abſoluta, id vllo modo, vt cauſa phyſica poteſt.

Si-

30 1

¶¶¶ SIGILLVM II. ¶¶¶

CREATVRA QVÆVIS, VEL est pure ſpiritualis, vt Angelus; vel pure corporalis, vt equus; vel ex vtroque compoſita, vt homo. Nulla, niſi in tempore, fuit producta; potuit tamen quælibet ab æterno produci. Angelus creatus fuit, non ante hunc mundum corporeum. Potuit peccare in primo inſtanti. Habuit in ſtatu viæ, cognitionem Diuinæ eſſentiæ non claram, ſiue intuitiuam, diſtinctam tamen, & quidditatiuam, per propriam ſpeciem, ei collatam ſolùm ex debito congruentiæ.

¶¶¶ SIGILLVM III. ¶¶¶

PRIMI Parentes noſtri, in ſtatu innocentiæ, antequam peccarent, habuerunt gratiam ſanctificantem ſimul cum iuſtitia originali. Habitus gratiæ ſanctificantis excludit quidem peccatum lethale, ita tamen hoc habet ex ordinatione Diuina, quod hac ſecluſa, ſine miraculo quantum eſt ex ſe, cum tali peccato componi poſſet. Deus concurrit cum creatura, concurſu phyſico ſimultaneo, ad materiale peccati; non vero ad id vllo modo præmouet, nec prædefinitione.

Si-

HVMANITAS CHRISTI D. radicaliter ex vi vnionis ad verbum, formaliter vero ex vi fruitionis, ita prorſus, & abſolute, ab inſtanti Conceptionis eſt, & ſemper fuit impeccabilis, vt nec de potentia Dei abſoluta vnquam poſsit, aut potuerit peccare. Si autem per impoſsibile peccaret Adhuc admiſſo, quod actiones ſint ſuppoſitorum elicitiue) minime inde ſequeretur, verbum D. formaliter peccare, vel eſſe cauſam peccati. Gratia habitualis non conſtituit Chriſtum D. in quantum hominem, filium Dei adoptiuum, ſed naturalem.

¶¶¶ SIGILLVM V. ¶¶¶

LEX naturæ, vt pote vere, & propriæ lex Diuina præceptiua, conſiſtit in actu præceptiuo Diuinæ voluntatis. Supponit tamen (& in hoc differt à lege poſitiua) debitũ intrinſecũ materiæ præceptæ in ipſa natura rationali. Dupliciter á Scoto (& vtroq; modo proprie, iuxta, noſtrã expoſitionẽ) accipitur lex naturæ, large ſcilicet, & ſtricte. Large ſumitur pro lege naturæ, proprie tali, in tota ſua latitudine, prout legi poſitiuæ opponitur. Stricte autẽ ſumitur pro ipſa, nõ in tota ſua latitudine, ſed cũ reſtrictione.

Si-

¶¶¶ SIGILLVM VI. ¶¶¶

INTELLIGIMVS ERGO IN littera Scoti, per legem naturæ stricte sumptam, eam solum, quæ supponit in ipsa natura debitum intrinsecum theologicum, nempe in ordine ad Deum. Per legẽ vero naturæ large sumptã, eam intelligimus, quæ in ipsa natura supponit debitum intrinsecum saltẽ philosophicũ, nempe tantum in ordine ad proximum, seu creaturam. Debitum autem extrinsecũ, nẽpe, quod aduenit naturæ ex ipsa lege, seu præcepto Diuinæ voluntatis, semper est theologicum.

¶¶¶ SIGILLVM VII. ¶¶¶

OMNIA omnino præcepta decalogi (excepto tertio, quantnm ad destinationem, temporis) absolute, proprie, & simpliciter sunt de lege naturæ. At solum tria primæ tabulæ sunt de lege naturæ stricte sumpta. Et hæc neque quantum ad debitum intrinsecum, neque quantum ad extrinsecum possunt à Deo dispensari. Coetera vero, & si quantum ad debitum intrinsecum philosophicum, omnino indispensabilia sint; tamen quantum ad extrinsecum theologicum, á Deo solo dispensari valent: cui sit honor, & gloria, Amen.



303

FAMILIÆ

NOBILITATE UNDIQVE

COMMENDABILI ÆQVITI,

tot famoſos

HEROAS, QVOT MAIORES ANNVMERANTI, quorum claram generis lucem (retroactis ſæculis; vſque in admirationem, etiam apud exteras gentes ad Imperij Hiſpanici fœlicitatem illuceſcentem) ſolis inſtar multiplicato lumine, ſi faſeſt, virtutum ſuarum ſplendoribus reddit clariorem:

SINE SVPERCILIO GRAVI, SINE CALIDIDITATE prudentiſsimo, ſine triſtitia benefico; erga Deum charitatis ardore æſtuanti, atque egenorum, & pupillorum ærumnas manu largiſsima lenienti, ſubleuanti.

D. D. ANTONIO

DE CARDENAS, ET GVZMAN, DOMINO MUNICIPIORVM DEL UILLAR

Viejo, y la Vega, Præſidi Caſtelli, & Arcis de Montoro,

DOMINO DE FUEN-REAL, TORRE EL UAEN, & Prado Caſtellano, & in ampliſsimo Cordubenſium Conuentu, veluti inter ſidera Soli, æquiſsimo Senatori; atque Bæticæ Tertij Ordinis S.P.N. Franciſci Prouinciæ magnifico tutelari, & Patrono, quæ pro Comitijs Prouincialibus in Domino adunata, in qualecumque in illum perpetuæ venerationis, & gratitudinis monimentum, hoc theologicum obſequium L.O. & S.

SAPIENTISSIMVS SEPTINOmius loquens de ſapientia incarnata hæc protulit prover biorum cap. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit Columnas ſeptẽ*; in quibus verbis, abſque dubio, indicatur, ſeptem Sacramentis Eccleſiam, veluti Columnis, militantem fulciri, atq; roborari, dum contra originalis peccati, & actualis lapſus, eiuſmodi ſenſibilia reliquit nobis Chriſtus Dominus ſigna, de quibus in 4. cum Magiſtro ſententiarum inſtituit tractationem D. N. ſubt; iuxta cuius mentem, ſub ſeptem Columnarum nomine, aliqualia offerimus defenſanda.

COLVMNA I.

F*ELIX aquæ Sacramentũ, quo ablutis delictis priſtinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur*. Tertull. lib. de Bapt. c. 1. Per ſalutiferam quippè Baptiſmatis lotionẽ homo ex vitiorũ ſenio ſibi reſculpſit infantiæ innocentiã, & in nouum hominẽ regeneratur. Inter omnia nouæ legis primũ, ratione inſtitutionis, ſibi vendicat locũ. Ex aqua vera, & naturali (nec refert frigida ſit, an calida) tanquã ex materia remota; ex ablutione actuali corporis tanquã ex materia proxima (ſiuè talis ablutio ſit per immerſionẽ, vel infuſionẽ, aut aſperſionẽ aquæ) ſimùlq; ex illis verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Tanq uam ex forma legitime conſurgit.

¶¶¶ COLVMNA II. ¶¶¶

CONFIRMATIO (VERVM NOuæ legis Sacramentum á Christo Dño institutũ) est *vnctio hominis viatoris, aliqualiter consentientis, factá in fronte in figura crucis cũ Chrismate sanctificato, & hoc á ministro idoneo simul cũ intentione debita vngente, & verba certa proferente, significans efficaciter ex institutione diuina Vnctionẽ animæ per gratiã roborantẽ ad confitendũ cum constantia fidem Christi Dñi.* Ita Scot. dist. 7. q. 1. Hoc Sacramentũ, non secus ac Baptismũ, & Ordo, characterẽ imprimit omninò indelebilẽ, ac subinde iterari non potest. *Hæc est* veritas de fide determinata in Concilio Tarracon. c. 6. & Trid. sess. 7. can. 9.

¶¶¶ COLVMNA III. ¶¶¶

QVONIAM Deus, diues in misericordia, cognouit figmentũ nostrũ, in quit Trid. sess. 14. c. 1. illis vitæ remediũ contulit, qui sese posteà in peccati seruitutem, & dæmonis potestatem tradidissent, Sacramentum, videlicet, pœnitentiæ, quo ipsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicaretur: Vnde merito sess. 6. cap. 14. Sacramentum hoc appellat *secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabullam.*

COLVMNA IV.

DIVINVM, AC MIRABILE Eucharistiæ Sacramentum formaliter, & essentialiter consistere in speciebus consecratis, significantibus, corpus, & sanguinem Christi realiter, ac substantialiter sub illis contineri, peritiores Scotistæ autumant. Corpus Christi Dñi. fieri præsens sub speciebus Eucharisticis, & panem conuerti in substantiā corporis Christi, vel per actionē productiuam, vel adductiuam, vtrumq; in sententia Scoti probabile est; probabilius tamen per actionem dumtaxat adductiuā; quæ ideo ad solā præsentiā localē formaliter terminatur.

COLVMNA V.

EXTREMA Vnctio, in extrema tantū vitæ periodo conferri solita, instituta à Christo Dño. tanquā verè, & propriæ noui Testamenti Sacramentū, est *Vctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis corporis partibus cū Oleo ab Episcopo consecrato, ministrata à Sacerdote, verba certa cū intentione proferente, significans curationē finalē venialium.* Conueniunt omnes chatolici, materiam Sacramenti Extremæ Vnctionis esse oleū oliuarū ab Episcopo benedictum, nontamen ita necessario, quin ex dispensatione Episcopi, vel summi Pontificis à simplici Sacerdote possit benedici.

❡❡❡ COLVMNA VI. ❡❡❡

IN ECCLESIA CATHOLICA reuera existit Ordo, seu ordinatio graduum, & ministeriorũ Ecclesiasticorum, secundum quos Clerici laicis superiores sunt, eisq; administrare possunt, ac debent res diuinas, puta, Dei verbum, & Sacramenta. Ita decernit Sac. Synodus Trid. sess. 23 cap. 4. Septem tantum modo sunt Ordines Ecclesiastici proprie dicti, scilicet, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcista, Acolithatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus; qui omnes veram induunt Sacramenti rationem: ita supponi videtur á D. S. dist. 24 n. 9. & seqq.

❡❡❡ COLVMNA VII. ❡❡❡

PRæcipuum Religionis, ac fidei christianæ misteriorũ Symbolum, & repræsentatio Matrimonij Sacramentum est. Primũ etenim signũ est castissimi fæderis, & vnionis Dei cũ anima, quã sibi perfidem desponsauit, cui dotis nomine, cœlestia charismata; atq; ipsum donorũ, ac bonorũ autorem Spiritum Sanctũ largitur. Est præterea magnũ Sacramentũ in Christo, & Ecclesia, & Symbolũ mystici illius coniugij, quo Christus Dñs. sanguine suo mundatã Ecclesiã; ac diuinis donibus gloriossam sibi sponsam coniunxit.

ORDEN DE LOS SERMONES, y CONclusiones de este Capitulo.

FELIZ principio se dá à esta celebridad Viernes, dia 21. de Nouiembre, celebrando fiesta al plausible misterio de la Concepcion Inmaculada de MARIA Santissima Madre de Dios, y Señora nuestra, debaxo de cuyo Titulo, la venera Patrona vniuersal, y Protectora toda la Religion Franciscana. Ha de predicar el P. M. Fr. Francisco de los Angeles, Lector Jubilado. ☞ A la tarde preside Conclusiones N. R. P. M. Fr. Pedro Ortiz de los Rios, Lector Jubilado, y Custodio de la Provincia; y las sustenta el Padre Fr. Sebastian de la Peña.

SABADO 22. de Nouiembre se consagran Cultos, y veneraciones al Principe de la celestial milicia, el Archangel San Miguel, Patrono, y tutelar especial de esta Prouincia, cuyas glorias, y prerogatiuas predica el P. Fr. Pedro de Mendoza, Lector Jubilado, y de Prima del Conuento de Nuestra Señora de Consolacion de Sevilla. Y en la Sala Capitular antés de la eleccion, ha de predicar el P. Fr. Alonso de San Leon, Predicador de Conuento del de Señor San Júan de Morañina, y Secretario, que ha sido de la Prouincia, ☞ A la tarde preside Conclusiones N. R. P. Fr. Bernardo de Figueroa, Lector Jubilado, Examinador Synodal del Arçobispado de Granada, y Difinidor de la Prouincia; y las sustenta el P. Fr. Joan Augustin, Maestro de Estudiantes del Conuento de Ezija.

DOMINGO 23. de Nouiembre, en accion de gracias, se celebra fiesta à N. S. Padre, y Patriarcha San Francisco. Predica el P. Fr. Christoual del Santissimo Sacramento, Lector de Visperas del Conuento de Nuestra Señora de Consolacion de Seuilla. ☞ A la tarde preside Conclusiones el P. Fr. Antonio de Vargas, Lector Jubilado, y Ministro del Conuento de Nuestra Señora de los Remedios de Antequera; y las sustenta el P. Fr. Pedro de Santa Cruz, Lector de Artes del Conuento de Señora Santa Ana de Ezija.

LVNES 24. de Nouiembre, se celebran las funerales Honras de los Señores Patronos difuntos de la Prouincia, y las predica el P. Fr. Francisco Escudero, Predicador Apostolico.

307

CYBICA,
SERAPHICA CIVITAS,
BOETICA SCILICET
MINORVM EPARCHIA,

IN JERVSALEM COELESTI
ænigmatice adumbrata, dum novum ſponſum quærit, fauſta ſperans, generoſos ſophiæ filios provida ad nuptias venire ſtudet;

AD RECREANDOS, QVOS INVITAT animos, in Vandalicæ Vrbis ſacratiori quadro, aſtra matutina parat, Angeliciſque tubis, à ſolis ortu vſque ad occaſum dulce epithalamium canit;

ENCOMIASTICIS LAUDIBUS SACRATVM connubium celebrat;

AD CIVITATIS MOENIA, ARCEM SUBTILioris Minervæ vocat;

TER CLAMITANS IN PLATEA STVDIOSOS mammertes, doctiſſimoſque duces ad bellum litterale provocat;

CATAPHRACTOS MILITES AD MAGNVM Chriſtiferi Franciſci Hiſpalenſe, regaleque fanum deſcendere, orat; vbi Scholaſticis Athletis paratur paleſtra per trinam repetitam veſperuginem incepturam á die 1. menſis Junij vſque ad diem 3. dicti menſis, anni Dñi 1703.

HORA CONCERTATIONIS ERIT 3. POST VESPERAS.

IDYLLION BOETICI SERAPHICI
Capituli isthmen decantans plausibilem.

Vertice è Seraphici summo descendit Olympi
Illustris soboles victrix famosa minorum,
Mille renitescens vivis circundata gemmis,
Lucida Sapphiris, vitro simillima mundo;
Aera iam rumpit veniens ornata Beryllis,
Clarecens Viridis nimio splendore Smaragdi,
Radians & solis circumamicta decore,
Chrysoprasisque refulgens vermiculata viretis.
Sed si pulchra venit plausu circundata tanto,
Quorsum regia dictans luce per æthera pergit,
Cimmerias, optant solis dum lumina, gentes?
Gaudia, quò, reboans, lustrans & sidera cuncta,
Progreditur jubilans, hac varietate coruscans?
Ast, caute inspiciam, clareque in luce videbo,
Quòd Pallas folijs, hæc, quam pulchrescit olivæ,
Purpureis provincia circumamicta coronis,
Bœtica, quam nullus sat sublimabit in orbe,
Tempore, quo quartum Cœlum rota lucida solis
Ter totum currit, fulgenti lumine complens,
Transato, impulsu Divini numinis icta
Hispalis ad magnum fanum venit eligere illum,
Qui foveat, qui servet, dirigat, atque gubernet,
Provideatque sibi, placidus qui visitet, atque
Supplici honore patrem condigno semper honoret;
Concreet atque duces alios, qui s mper ovile,
Et regere incumbant, & custodire pusillum.
Inclytus, vtque suorum corda paraclitus adsens,
Et rore fœcundet, sanctoque accendat amore,
Optans dum hæc intendit iam orat, iamque precatur,
Thuraque Dis libans offert, & consecrat aris:
Gaudia &, vt valeat plectris accrescere plenis

Festa

Festa parans, gaudens vocat ad certamina clamans,
Doctos, illa, viros, quos subtilissimus ille
Scotus munivit princeps celeberrimus, armis,
Iam ruere in pugnam, fortes, & in arma parari.
Concinit & chordis laudes, & voce sonora
Dulciter alternans, ut Cœli numina laudet.
Ergo veni gaudens, margaritisque coruscans,
Exultansque veni Chryseo exornata decore,
Vt Polus invideat, sicque admiretur uterque;
Vtque tui semper tecum lætemur amantes,
Vive nimis fœlix Provincia maxima vive,
Inscriptumque tuum merito venerabile sæclis
Nomen, Apellæis tabulis in sæcula vivat.

CATAGRAPHON SACRUM, EX QVO PRÆCLARA TOTIVS CAPITVLI LINEAMENTA DEDVCVNTVR, IN CAP. 21. APOCALYPSEOS, SYNOPSI REDUCTO, INVENITUR, SICQVE PROPONITVR.

MAXIMVS CONTEMPLATOR ILLE DIVVS, qui privilegio amoris præcipui supra pectus Domini in cœna recubuit, & fluenta evangelij de ipso sacro Domini cordis, bonum eructantis verbum, perenni fonte potavit, in Patmos insulam relegatus ascensiones in corde suo disposuit, ascendensque in altum, in monte novi luminis mirabilem habuit visionem, quam loco citato per tres partes distincte depinxit. In prima enim descripsit Ciuitatem Sanctam Ierusalem descendentem de Cœlo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo. In secunda vero parte Aquilinis contemplavit obtutibus structuram beatæ vrbis, eamque in quadro positam picturavit versus quatuor Cœli cardines; & quatuor Angelos stantes super quatuor, festivi orbis, prospexit, goneas, versis vultibus ad Orientē, ad Austrum, ad Aquilonē, & ad Occasum. In tertia denique parte Civitatem habere murum magnum, & altum exarat; murum vero duodecim fundamenta, totidem lapidibus pretiosis ornata possidere affirmat. Primum fundamentum Jaspis, secundum Sapphirus, &c.

ANTIGRAPHIA CAPITULI
EX CATAGRAPHO DESUMPTA, ALLEGORICISQVE LINEIS PER PARTES DEPICTA.

CATABATHMOS CIVITATIS EXPONITVR.

INSPICE EXEMPLAR, QVOD TIBI IN MONTE monſtratum eſt,&quod ibi per ſpeculum in ænigmate,in ſacro plagiferi patris Capitulari congreſſu facie ad faciem intuebe-ris. Per Civitatem, vt exponit Hugonis purpura,deſignantur minores. Sic cognominantur Seraphici Patriarchæ dilectiſſimi filij: Ergo Civitas illa ſancta Vandalicæ Minorum Provinciæ vmbra eſt, & figura ; quæ vna in charitate non ficta theoſeba-ſtarum civium congregata vnitas, ſtimatizati parentis quin-que vulnerum purpureo , roſeo inſignita ſtemmate, aſpirans eloquentiæ flores , coruſcantibus theoſophiæ circumamicta gemmis, Syneſis pretioſis condecorata monilibus, è Seraphi-co deſcendens Cœlo progreditur vt ſponſa ſuperiori copulan-da viro, gratiſſimo, digniſſimo, expectabili, amabili, deſidera-bili toto, ex omni lingua inclyto, ex millibus eligendo ſponſo; qui præſit, proſit, paſcat, foveat, viſitet, atque conſervet. Si autem vt alter Joannes iteras viſum vndique novam compre-hendes , dum qui Hegemonos in excelſo Seraphico ſedet throno, novos creans ſuperiores Cœlos dicet:*Ecce nova facio omnia.*

TETRAGONISMOS MYSTICÆ CIVITATIS EXARATVR.

MIRABILIS STRUCTURA ILLIUS VRBIS beati orbis in quadro diſpoſita erat verſus mundi partes qua-tuor. Iſta quadratura , vt refert Haic, tantum ſymbolica erat. VE-

VERE ENIM IN ÆNIGMATICO CYBO CIVITATIS Sanctæ, cuius nostra Minoriadum Provincia Bœtica typum gerit, non obscuris lineamentis quatriduum festivum dispalescit, in quo Vandalica Franciscana Familia pro celebratione Capituli, vota sua Domino redditura ad quatuor mystici Cœli cardines prospiciet jubilans, lætabunda, & laudans. Prima die vertet oculos ad Orientem, eo quod suffitis abundans, flexo poplite, celebrabit ortum surgentis Auroræ, quam in vmbra vidit Jacob à primo ex orientis vitæ immaculato instanti, ascendentem super Cœlum Cœli ad orientem. Secunda vero die intuebitur Austrum, nam Divinum vocans spiritum humilis, & devota orabit dicens: *Veni Sancte Spiritus; veni* (scilicet) *auster, & persla hortum meum*, vt ipsius virgulta odoriferos germinent flores, ex quibus pulcherrima construatur corona, qua novus redimitus Phœbus, tanquam sponsus procedens de thalamo suo, thura sacra sacrans, splendidam, propitiam, faustam, præviam sequatur Stellam Sanctissimi Dominici Prædicatorum, simulque Minorum dulcissimi Patris, cuius ducatu, & custodia exultabit vt gigas ad currendam viam.

TERTIA DEMUM DIE DOMINO DEBITAS, præcordialesque referens grates, quia deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles, Aquilonem versus respiciens jubilabit à terra suscitatum inopem, erectum pauperem, elevatum humilem super astra Cœli, sedentem in testamenti monte, in lateribus Aquilonis stimatizatum Seraph, Altissimo similem, in volis, plantis, latere, & pedibus ferentem Crucifixi effigiem. Quarta denique die mæstis oculis cernet occasum Excelentissimorum D. D. Marchionum de Aiamonte, istius Bœticæ Provinciæ tutelarium, optansque illos fore socios beatorum Cathartica offeret suffragia super ipsorum magnificum bustum. Super quatuor angulos sacræ vrbis stantes erant quatuor pulcherrimi Angeli. Qui sunt hi, & vnde venerunt? A summo sapientiæ, & scientiæ Cœlo egressio eorum: hi sunt, de quibus Matth. 24. loquitur dicens: *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt omnes electos à quatuor ventis*. Igitur illi quatuor superni Cœlites, quatuor adumbrant præcones sacros, Prædicatores superos, qui stantes in dierum festivo quadro, quasi Evangelicæ tubæ exaltantes vocem suam per omnes terræ partes effundent sonum sermonum suorum; sicque vsque ad Cœlos magnificabitur fama, & memoria ipsorum.

CYBOS QVATVOR ALACRIVM
Hemerarum Poetice depingitur.

QVÆ INCIPIENT A DIE 1. MENSIS JVNIJ VSQVE AD 4. DIEM PRÆDICTI MENSIS.

ORIENTALIS LUX.

Fœlicem, primamque diem, quæ candida scrutat
Suffragia exultans, examinansque legit,
Lustrat ad ecce orientem inspectans Angelus vnus,
Plaudit, qui, laudes, concelebratque sacras
Auroræ pulchræ, puræ exorientis, à labe,
Cuius in applausum dulciter ecce canit.

HAC SOLEMNI DIE, VELUT ALTER ANGELUS ascendens ab ortu solis extollet vocem suam, & fulgens eloquio dulci decantabit laudes illius maximæ, mirabilis, Marianæ lucis, quæ à primo vitæ Oriente tenebrarum victrix ab omni caligine fuit præservata, P. FR. ANDREAS DE LA TORRE Philosophiæ Lector, Arudensisque Cœnobij Guardianus.

LVX MERIDIONALIS.

Ecce dies, orbi fulgenti luce, secunda,
Vere cum irradiet, gaudia plena dabit:
Nam gaudens, oculos cum iam convertit ad Austrum,
Laudibus illa sacrum, plausibus illa patrem,
Custodem venerat domini, lætanter honorans,
Decantans tanto, carmina sacra, patri.

QUA LVCE, SICUT ALTER ANGELUS AMICTUS nube pluente aureum eloquentiæ imbrem, eruditionis pulchra, florida, variegataque Iride coronatus, illius Hispaniarum, & Orbis fulgentissimi Solis S.P.N. DOMINICI DE GUZMAN Prædicatorum, & Minorum amantissimi Patris egregia elogia in Cœlum, in meridiem vsque efferet P. FR. DIDACUS NARANJO, ET ROXAS in Regali, Magnoque S. P. N. FRANCISCI Hispalensi Conventu Sacræ Theologiæ Lector dignissimus.

LUX

LVX AQUILONARIS.

Tertia, ſole, dies, fauſto circumdata, feſta
Gratulabunda parans; tota dicata manet
In patris, & noſtri primi ductoris honorem,
Humilis atque Seraph, ſimilis atque Deo;
Lateribuſque erecti digne Aquilonis, ovantis,
Quem corde exaltans laudibus, ore canit.

HAC DIE, TANQUAM ANGELUS FORTIS, vt præſefert nomen, prædicans voce magna, facunda, fœcunda confitebitur domino, pro neoelectis patribus gratias Omnipotenti aget, quia quæ abſcondit à ſuperbis humilimo FRANCISCO, noſtro dulciſſimo parenti revelavit, qui & ſi parvulus in conſpectu hominum, coram Deo magnificus, & vſque ad Aquilonis latera elevatus conſpicitur, eius magnificas laudes ſermocinans R.P.FR. FRANCISCUS DE OJEDA, ET VARGAS Jubilationis laurea decoratus, atque in Conventu Vrſaonenſi iterum optatus Lector.

LUX OCCIDENTALIS.

Quarta dies triſtis, pallens, vmbroſaque, nigras,
Quæ tendit propere mortis ad vſque fores:
Occaſum, mæſtis, en dum contemplat, ocellis
Nil niſi triſtis ei, nil niſi planctus adeſt;
Naturæ, & plorans, qui conceſſere, Patronos,
Iam exequias renovat, iam tumulumque colit.

QUA DIE, VT A VOCE ARCHANGELI, & noviſſima tuba reſurget, vt in æternum vivat, & nunquam de libro noſtræ gratitudinis deleatur, dulcis, grataque memoria Excellentiſſimorum D. D. Marchionum de Aiamonte, huius Provinciæ Bœticæ tutelarium, ſuper quorum Occaſum, tumulum ve Epicharis orator aderit P. FR. FRANCISCUS MUñOS, Sacræ Sophiæ Lector emeritus, & in Cœnobio Sanctæ Mariæ Angelorum de Ximena Præſul.

HYPOMNEMA MVRI BEATÆ VRBIS CVM SVIS FVNDAMENTIS ELVCIDATVR.

COELESTIS ILLA CIVITAS VRBS FORTITVDINIS SION alto, magnoque erat circumcincta muro; Murus vero duodecim fundamenta super totidem pretiosos lapides, extructa habebat. Communis Hermetum sententia affirmat murum indicem esse doctrinæ Doctorum, qui magna consideratione sublimia contemplantes, velut turres fortitudinis à facie inimici Civitatem Dei, Ecclesiæ arcem ambiunt, protegunt, ab hostiumque furibunda acie defendunt. Fundamenta huius muri Catholica sunt dogmata, conclusiones, & asserta, in quibus sicut in pretiosissimis lapidibus è thesauro sapientiæ, & scientiæ Dei prolati, murus Sophiæ Sacræ firmatur. Ergo nostra ænigmatica Civitas magno, altoque muro circundata apparet cum descendit ad pugnam; ex quo dum ad certamen properat, munita progreditur altitudine sapientiæ, & scientiæ illius magni, & Subtilissimi Doctoris, qui (vt ait Ragusius) *præ altitudine, & subtilitate doctrinæ antonomasticè nomen Doctoris Subtilis in scholis obtinuit.* Hic enim fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, non solum, vt testimonium perhiberet de mariana luce absque tenebris originalis noxæ Concepta, verumetiam, vt Castris Ecclesiæ opportunas ferret suppetias in tempore tribulationis, illique esset murus, & ante murale contra Beguardorum, & Beguinarum detestabilem cohortem.

QVID ERGO FACIEMVS DE SVBLIMI SCOTI DOCTRINA quando de ea alloquenda est? Si murus est ædificemus super eum tria propugnacula, sub quibus tres custodes muri assistent, sicque doctrina Subtilissimi Magistri erit sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, & omni armatura fortium, in quibus subtilior Hyperaspites adversantium confringet potentias arcuum, Scutum, gladium, & bellum. Hoc altissimo circuncincta muro, fortissimaque munita turre, nostra Bætica Seraphica Civitas descendit ad pugnam; per tres Vespertinas luces terribilis vt castrorum acies apparet; irruentium turmas non timet; siquidem murus, quo protegitur bene fundatus est supra firmas petras; super duodecim pretiosos, subtilioris scalpritibus politos lapides est ædificatus; nam ex parte primi propugnaculi eum Jaspis, Sapphirus, Calcedonius, & Smaragdus fortificant, & roborant; Ex parte secundi propugnaculi ipsum Sardonix, Sardius, Chrysolithus, & Beryllus extruunt, & ornant; & ex parte tertij propugnaculi illum Topazius, Chrysoprasus, Hyacinthus, & Amethystus ædificant, & fundant; & denique sub triplici propugnaculo tres custodes vigiles, pugiles, pugnaces totum murum, Civitatemque defendent ab incursu inimicæ cohortis, cuius strenuos duces ad tria Certamina provocant, inceptura à die 1. mensis Junij vsque ad diem 3. eiusdem mensis.

CAN-

CANDIDO, ET RVBICÙNDO

PRÆALIJS PRÆSTANTIORI JASPIDI;

SAPPHIRO PVLCHERRIMO, SERENO,

SIMILLIMO IN COLORE, COELO;

OB STELLAM, QVÆ IN CORDE IPSIVS, INTERMIXTIS PVLVERIBVS AVREIS, RVTILAT, OMNES, EXCEDENTI, GEMMAS;

E COELI RORE, IMBREQVE DIVINO CALCEDONIO genito, qui perpetuo radiorum repercussu micans illusiones dæmonum procul fugat; ex olei vnctione maxime viridanti Smaragdo, more Speculi Triados exprimenti Imaginem;

SANCTISSIMÆ, INQVAM, AC

BEATISSIMÆ VIRGINI MARIÆ,

A PRIMO VITÆ LIMINE AB ORIGINALI NOXA IMMVNI;

Quæ velut Jaspidis cœteris ex albo, & rubeo colore præstantior, in primo suæ Conceptionis instanti, non solum originalis justitiæ candida fuit induta bysso, verum etiam Filij sui cruore roseo respersa, redemptionis præservativæ fuit amicta purpura; quæ sicut Sapphirus ab initio suæ creationis, Cœlo sine nube similis, in punctis aureis, gratiæ gemmas supergressa est vniversas, ob fulgentem Stellam, quam genuit ex Jacob; quæ, Calcedoni ad instar, rore Cœli præventa, & Deitatis radiorum repercussu splendens calidi hostis, crepida contrivit, caput; & quæ denique velut Smaragdus gratiæ splendore viridans, in primo vitæ oriente oleo lætitiæ vncta candor fuit lucis æternæ, Speculum sine macula, & imago bonitatis illius.

Huic ergo bonorum omnium potentissimæ Dominæ, Minorum Protectrici Sacræ, hanc viriolam quatuor ditissimarum gemmarum, quæ styllo Theologico politæ quatuor prima Scotici muri fundamenta construunt, FR. MICHAEL DELGADO in Conventu Gaditano subtilioris Minervæ alumnus suæ Provinciæ nomine, corde, & animo O. S. C. & dum ab Immaculata Virgine auxilium postulat sic exorat.

ET OSTENDIT MIHI FLVVIVM AQVÆ VITÆ, SPLENDIDVM tanquam Crystallum, procedentem de sede Dei, & agnis. In medio plateæ eius, &c. Apocal. 22. v. 1.

Per vicos, & plateas quæsivi, quam diligit anima mea. Quæsivi eam, & inveni ipsam in plateà illius novæ Jerusalem, Civitatis Sanctæ descendentis de Cœlo a Deo; in cuius medio (ait Joan.) *Ostendit mihi Angelus fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam Crystallum, procedentem de sede Dei, & agni.* Ecce Maria erumpit sicut fluvius nativo suo fonte plenus sibi, super plenus nobis. Ipsa equidem ait: *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio; & ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit mari.* A mari enim Deitatis abundavit fluentum eius.

A SEDE DEI, ET AGNI, A TRINITATIS ABYSSO MAGNA egressæ sunt aquæ largissimæ, & flumen Dei repletum est aquis; Maria scilicet, in qua simul se tota infudit plenitudo gratiæ, quæ in Christo est, quamquam aliter. Ergo illius immensissima gratia aliqualiter Diuinitatem sapit, nam vt ait Casiodor. 2. variar. epist. 14. *Hanc conditionem substinent cuncta manantia, vt sapor, qui concessus est origini nesciat rivulis abnegari.* Aquæ omnes perfectionis, quæ super Coelos sunt congregatæ sunt in locum vnum, in animam Virginis, & Sacra Dei Mater crevit influvium, in gratia longum, in gloria latum, & in Deitate profundum, nec vsque adhuc trina dimensione perceptum. Quis ergo (ó benedicta) (aiebat Bernardus) longitudinem, latitudinem, & profunditatem gratiarum, & charismatum tuorum queat investigari? A sede Dei, & agni processisti, vt Gehon Fluvius, qui lenissimus, pariter, ac fœcundissimus est. Claud. de cons. Mal Theod.

Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus extat
vtilior, nullas confessus murmure ripas.

A SVMMO COELO FLVXISTI, O AMNIS VIRGINEVS, incorruptus semper, & chrystallinus, vbique purus, ex quo à tuo primo origine immaculatus. Tecum rapuisti ramenta aurea, & mille perfectionum divitias gemmarum; ac proinde nitoris tantum effudisti:

Quantum stagna tagi rudibus stillantia venis
Efflucere decus, quanto pretiosa metalli.
Hermi ripa micat, quantas per lydia culta
Despumat rutilas dives Pactolus arenas.

HUIUS MARIANI FLVMINIS IMPETVS SEMPER, & maxime hodie lætificat Civitatem nostram, exundantia suæ protectionis exhilarans Minorum Bœticam Eparchiam. De plenitudine eius accipiunt vniversi; Scotus vero de torrente gratiarum suarum limpidissimos elegit lapides, quibus Gigantomachiam, candori originali Virginis Matris oppositam devinxit. Age ergo magne amnis, & inundationibus tuis meam satiat mentem avida enim, & sitiola tuas vndas expectat. Imple vero (ò excelsa super sidera) quasi Phison sapientiam, & adimple quasi Euphrates sensum, ne avertar humilis factus confusus. Aqua sapientiæ salutaris pota me intellectum dans parvulo. Oro, Sacratissima Domina, ne frauder á spe, & confidentia bona. In tanti diei bello non timebo mala, quoniam tu mecum est. Ergo ignorantiæ meæ vincla solve, & Potentissima Regina nostra Salve.

PRIMVM FVNDAMENTVM JASPIS

FIDEI DIVINÆ FIRMITATEM DENOTAT, INQUA MURUS SCOTICÆ DOCTRINÆ STABILITVR, CVM LEMMATE HOC:

BENE FVNDATVS EST SUPRA FIRMAM PETRAM'

I*Aspis gemma antiquissima, & firmissima est; inter pericula tutum constituit hominem, secundum Isidorum.* Quare ex Berchorij mente Symbolum est fidei firmæ, & stabilis, quæ debet in catholicis residere. Virtute huius petræ Ecclesia Catholica inter pericula constituta consistit secura, sistit firma, & à DEO immobilis perseverat, vt portæ inferi non prævalent, nec vnquam prævalebunt adversus eam. Super hanc firmissimam fidei petram murus doctrinæ Scoticæ primario fundatur, firmatur, & à DEO roboratur, vt neque á decretis Pontificum, neque à Concilijs fuerit aliqua ipsius sententia, propositio, apex, aut jota damnatum, dæletum, vel repræhensum: immo sua theosophia à privatis viris, religiosorum studijs, vniuersitatibus publicis est, & fuit recepta; & vt refert Ferchius *lib. 1. Apolog. in Matenesium c. 2. ab vniuersali Ecclesia in Concilio Trident. Scoti doctrina probata; nam Jacobinus Bargius iussu P. P. Concilij vnam ad Scoti mentem composuit quæstionem, quam in 1. d. 17. q. 1. & 2. Asserit à Sacrosancta Synodo approbatam, & iuxta Scoti placita definitam, Spiritu Sancto, qui Scotum illustraverat, illustrante vniuersos Patres.* In Concilio Basiliensi Joannes de Ragusio Scotum in fidei propugnationem advocavit, & suis doctrinis, tanquam machinis bellicis robustissimis contra hæreticos arietavit. Sacræ Inquisitionis Romæ Tribunal ad ann. 1610. præcepit doctrinarum, & librorum censoribus, *vt quidquid Scoti esse constaret intactum, inviolatumque pertransirent*, vt testatur Vvadingus ann. 1304. Ergo in vanum laboraverunt Erasmus Lutheranismi seminarium, Eduardus Angliæ Rex, & alij similis farinæ homines debacchantes in Reginæ Cœli Athletam, doctrinam D. S. ab Ecclesia exterminare, & murum suæ theosophiæ disipare volentes, dum inter tot pericula immobilis, securusque perseverat; ex quo bene fundatus sit supra Jaspidem, fidei firmissimam petram.

313 SE-

SECVNDVM FVNDAMENTVM SAPPHIRVS D. O. M. DEMONSTRAT
CUM LEMMATE ISTO:

CUNCTAS SVPERAT GEMMAS.

S*Apphirus*, *qui cœteros pretiosos lapides excellit specie, valoreque,& gemma gemmarum in lapidario appellatur*, secundum Tirinum Deum Optimum Maximum demonstrat, qui specie, pulchritudine, perfectione, sanctitate, & excellentia infinite cuncta supergreditur entia. Sua natura vnus est Deus, vt pro sui vnitate ipse pronuntiavit Deut. 32. *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me:* Cui si alium addideris infinitos admittere cogeris. Quapropter Gentilium paleas reijce,qui idolis servientes pluralitatem Deorum colebant; & Ægyptios deride, qui Sole, & Luna adoratis, non contenti, seminatores Deorum, in hortis nascentia semina coluere. Sic post Gnosticos, qui delira sapientia tumidi, videntes haberi ambiebant, excæcatus est, & Manichæus, cum illorum Deo vni bonorum, alteri malorum id addidit impietatls, quod testamentum novum à Deo bono, & à Patre Domini nostri Jesu Christi, vetus autem à Deo malo datum profiteri, non erubuit. Est enim hæc Divinissima petra substantia completa, spiritualis, vivens, ens entium, existens per essentiam quidditative, ita vt existentia à se quidditatē eius ingrediatur; infinitas autem intrinsice illam modificet. Quamvis intellectus noster promptior sit ad concipiendum, quid Deus non sit, quidve ei repugnet, adeoque ad exprimendum conceptum communem potius, quam proprium, & singularem Dei, qualem creatura habere non potest, adhuc tamen complexum hoc: *Deus est*, est per se notum. Omnium entium continet perfectiones ab omni imperfectione defæcatas. Ex quo in hac Divina petra infinita virtus colligitur, qua cœteras creatas gemmas infinite superat.

TER-

TERTIVM FVNDAMENTVM CALCEDONIVS
TRINITATIS DESIGNAT MYSTERIUM.
CUM LEMMATE HOC:

TRIFORMI RADIAT COLORE.

C*Alcedonius, qui nunquam nisi tricolor, idest triformi radians colore reperitur*, recte inexhautum, & ineffabile Triados designat mysterium; quod in eo situm est, quod perfectionum pelagus Divina essentia singularissima, & à se vna tribus insit communicata suppositis. An tres personæ Divinæ formaliter constituantur per relativum, an ve per absolutum inter Theologos dubitatur? Nos vero ad dubium respondemus, quod personæ Divinæ constituuntur formaliter in esse suppositi proprietatibus absolutis. Prima trinitatis persona, Pater scilicet, omnino improducta est. Verbum, quod est personarum secunda per actum dictivum suæ fœcundissimæ memoriæ, non vero per actum intellectivum à Patre vere generatur. Hæc enim dictio formaliter ex natura rei ab intellectione distinguitur. Licet Verbũ Divinũ ex cognitione procederet non ex possibilium, seu personarum notitia, sed solum solius essentiæ cognitione produceretur. Tertia denique Sanctissimæ Trinitatis persona, Spiritus Sanctus scilicet, à Patre, Filioque procedit tanquam ab vnico principio, non naturæ impetu, sed libero, simulque necessario conatu per virtutem spirativam. Quod ab vtraque procedat persona non petit ex vi suæ caracteristicæ proprietatis, sed solum ex ordine potentiarum evenit. Si autem per impossibile à solo Patre Spiritus Sanctus procederet, adhuc eiusdem rationis, ac modo est, & à Filio realiter esset distinctus. Nec plures, nec pauciores quam tres personæ reperiri possunt in Deo, ex quo Divinus Calcedonius nunquam nisi tricolor, id est, triformi personalitate radians queat vlla ratione in veniri.

QVAR-

QVARTVM FVNDAMENTVM SMARAGDVS
DIVINAM REPRESENTAT SAPIENTIAM, CVM LEMMATE ISTO:

EXPRIMIT OMNIA.

S*maragdus, qui bene terſus, & politus more ſpeculi imagines repreſentat ſecundum Iſidorum,* Divinam exprimit ſapientiam, quæ candor eſt lucis æternæ, ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius. Si vetuſtatem huius Divinę petrę intimius luſtraveris, impium reberis non eſſe ſapientiam, & ſcientiam in excelſo aſſerentem. In Deo enim vere eſt intellectus ſub ratione potentiæ, & principij intellectiui vnico actu omnia intelligens, conſequenter, & ſcientia rigoroſe ſumpta. Nefas enim foret in ente perfectiſſimo potentiam ſuo actu nudatam ponere. Hæc ſuperna ſcientia ſpectata formaliter ſecundum ſuam entitatem realem vna eſt, terminative ſolum multiplex : Et quamvis ſolemniter in ſcientiam liberam, & neceſſariam dividatur, illa tamen huic nil ſuperaddit, ſicut neutra ipſarum illi, quam Deus habet de ſe præter ſolam terminationem. Sic autem cognoſcit Deus creaturas poſſibiles, vt ſcientia immediate terminetur ad eſſentiam, & mediate ad creaturas, quas in illa tanquam in obiecto primario cognoſcit. Hæc notitia non abſtractiva eſt, ſed intuitiva, licet poſſibilia nullam in ſe habeant exiſtentiam. Futura contingentia videt Omniſcius in determinatione ſuæ voluntatis includente determinationem humanæ, tanquam in medio, & in ſua eſſentia tanquam in obiecto repreſentante futurum contingens, quod cognoſcitur, licet conditionatum ſit; non tamen ſcientia media, quæ nec viſionis, nec ſimplicis intelligentiæ ſit; cum talis ſcientia non ſit neceſſaria ad ſalvandam libertatem creatam in ſuis actibus liberis. Attingit ergo hæc Divina petra à fine vſque ad finem, ſpeciem omnium rerum referens.

Hæc quatuor fundamenta muri, tanquam pugil cuſtos defendet, qui ſupra dicat, ſub Hycinthino, inexpugnabilique propugnaculo P. Fr. HYACINTHI DE LA BARREDA Theologiæ Lectoris primarij, & in Conventu Gaditano emeriti præſulis.



315

EXCELSO THEOSOPHIÆ
OLYMPO;
MINORIS FIRMAMENTI LVMINARI MAXIMO;
OCVLATO, PENNATOQVE FRANCISCANI CVRRVS
HENIOCHO FLAMIGERO;
RELIGIOSISSIMO, AC REVERENDISSIMO
P. N. F. ILDEFONSO DE BIEZMA,
CATHOLICÆ MAIESTATIS A CONCIONIBVS; pro Regali Congregatione Immaculatæ CONCEPTIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ clarissimo Theologo; Castellæ Minorum Provinciæ dignissimo Patri; totius Orbis Seraphici meritissimo Generali Ministro; & vniversi Franciscani imperij pulcherrimæ Coronæ; quam Sardonix triformi radians colore, trium scilicet ordinum hegemonia rutilans, exornat; quam Sardius ignitæ charitatis Cocco rubescens, ditat; quam Chrysolitus ardentes zeli Dei scintillas emittens, illuminat; & quam denique Beryllus paupertatis, rigidæque abstinentiæ maceratione pallescens, decorat.

HVIC ERGO DILECTISSIMO PARENTI, TOTIUS PUSILLI gregis zelantiori Pastori, & Patriarchæ pauperum legitimo Sucessori, hos quatuor pretiosos lapides ex fundamentis Scotici muri desumptos, & cœlo subtilissimo Theologice elaboratos

FR. JOANNES ANTONIVS GAMONALES
D. BONAVENTVRÆ LICÆI COLLEGA, SVÆ PROVINCIÆ nomine, in dilectionis, gratitudinis, specialisque affectus obsequium L. L. L & patrocinum potiri gestiens sic alloquitur.

ECCE SEDES POSITA ERAT IN COELO, ET SVPRA sedem sedens; & qui sedebat similis erat aspectui lapidis Jaspidis, & Sardinis, & iris erat in circuitu sedis, &c. Apoc. 4.

QUIS (REVERENDISSIME, ET COLLENDISSIME PATER) gloriam regni tui dicet, si sedes tua posita est invertice Seraphici Cœli, ad cuius summum (inquo diu sedeas) non favor, sed meritum te evexit? Si ad laudem tuam velim meas resonare voces adhæret lingua mea faucibus meis, & non est sermo in lingua mea. Si encomia tua scribere velim impotens supersedet, sistit calamus.

Non mihi subtilem calamum si cedat Appelles,
quæ tibi sunt dotes posse notare putem.

316

NVNC ERGO QVÆ EST EXPECTATIO MEA? Oro, vt loquatur in me Dominus Deus; nam dum locutus est in servo suo Joanne parata sedes tua ex tunc. *Ait enim : Ecce sedes* (Prælati scilicet, exponit Hugo) *posita erat in Cœlo, & supra sedem sedens, & qui sedebat similis erat aspectui lapidis Jaspidis, & Sardinis, & iris erat incircuitu sedis, &c.* En (Reverendissime Pater) tui præclarissima, sacro penicillo collineata ico. Dominus in Franciscano Cœlo, è cuius summo nostræ Civitatis egressio, paravit sedem tuam, tibique dedit sedem Francisci Patris tui. Vtinam sedes tua in sæculum sæculi! O nimis fœlix, centiesque fœlix Sacrata Minoriadum Religio, quæ te strictissimæ observantiæ vividum veneratur simulacrum! Plaude iam turba paupercula, tanto ditata Patre. Dilatabitur cor tuum, & videbis bona Jerusulam omnibus diebus vitæ eius.

Qui in tuo sedet supremo solio similis est aspectui Jaspidis, & Sardinis; nam virioris observantiæ, vigorisve religionis refert speciem, & scintillas amoris Dei ardentes emittit, dum emittens verbum suum, ignitum vehementer eloquium, algefacta infflammat pectora, nec est, qui se abscondat á calore eius. Iris vivum est pacis ectypon, nam ad exortum eius venti detumescũt, nubes disipantur cœloque obscuro frons serena reddit: Vnde Valerius Flaccus lib. 1. Argon.

Emicuit reserata dies, Cœlumque resolvit
arcus, & in summos redierunt nubila montes.

Ergo Iris (ó Pater pacis cultor amabilis!) in circuitu sedis tuæ, & si justitia, & juditium sit correptio sedis tuæ, dum ex ipsa procedunt fulgura, voces, & tonitrua: nam in te delectabili amplexu justitia, & pax osculatæ sunt, & in diebus tuis in simul est, & erit justitia, & abundantia pacis. In circuitu sedis tuæ seniores multos conspicio, eruditos, doctissimos, theosophos, minoritici cœtus dignissimos præsules, qui lætitiæ, & jucunditatis vestibus induti, aureis sapientiæ anadematibus coronati afferunt tibi honorem, & gloriam dicentes: sedenti in throno benedictio, & honor, laus, & gloria, sicque tibi Seraphicus decantat populus laudem, & in ore eorum dulcis resonat sonus. Fulgidas suæ præfecturæ coronas ante thronum tuum deponunt, & mittũt, vsque dum qui in excelso resides solio, novos eligens, creans antistites dicas: *Ecce nova facio omnia.* En in manu tua, in sedentis dextera est liber legis, vt exponit Hugo, nam opus manuum tuarum recti via, regula morum. Ergo qui in operibus manuum tuarum meditatur, lex, & Regula Fratrum Minorum meditatio illius est. Ille liber, qui in dextera sedentis apparebat est Divina scientia ex Lirani sententia; superna sapientia, quæ de Deo, attributis, & mysterijs gratiæ pertractat ex Tirini expositione. Ergo in manu tua ille liber continetur cum inter maiores Theologos maximus Theosophus superemineas. Emitte ergo Magne Pater de excelso manum tuam, & ciba me volumine isto: erit enim in ore meo sicut mel dulce, & vox mea in auribus tuis dulcem efformabit sonum. Eia, age, intende prospere, procede, regna, & in supremo totius Franciscanæ Familiæ solio Hyperepistates in æternum vive.

QVINTVM FVNDAMENTVM SARDONIX
VOLUNTATEM DEI EXARAT
CUM LEMMATE HOC:

ÆTERNO FLAGRAT INCENDIO.

S*Ardonix, qui ex Iſidoro lapis ignitus in candido circulo igniculos continet*, mire voluntatem Dei exarare poteſt, quæ ignem ſui amoris æternitatis circulo menſuratum continet. Deum hac pretioſſima petra, voluntate ſcilicet, ornari, à nullo catholico negari valet; quæ veritas etiam ratione naturali poteſt oſtendi. Eius obiectum adæquatum motivum, & terminativum non eſt bonitas attributalis; ſed ipſa bonitas Divina eſſentialis. Attributa, & relationes ſolum rationem obiecti terminativi ſecundarij obtinent; quibus in hac obiecti linea ſuccedunt omnes creaturæ tam poſſibiles, quam futuræ, & exiſtentes. Deus erga ſe verum exercet amorem, ſuamque eſſentiam neceſſario amat, quin neceſſitas obſtet libertati eſſentiali talis amoris. Certum eſt Deum circa creaturas actuales, & futuras verſari peractum liberum ſuæ Divinæ voluntatis. Circa poſſibiles eſt controverſia, ſed nos etiam libere, licet non efficaciter circa ipſas tendere opinamur. Hæc volitio contingens, & libera, qua Deus creaturas diligit nil addit ſupra neceſſariam, qua ſeipſum amat, niſi ſolam terminationem ad illas. Circa voluntatem Dei erga futura à theoſophis dubitatur, an in ea detur libertas contradictionis? An ve Deus potuerit ab æterno nullum actum habere circa futuritionem creaturarum; ita vt potuerit non velle, nec nolle, ſeu remanere ſuſpenſus ab omni actu voluntatis tam volitionis, quam nolitionis circa ipſam futuritionem, ſeu futura? In quo dubio partem negativam tuemur, Deum ab æterno non poſſe manere ſuſpenſum ab omni actu libero, affirmando. Erga homines precipue hæc Divina petra igniculos ſuæ maximæ dilectionis exercuit, cum ab æterno voluerit omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

317

SEX-

SEXTVM FUNDAMENTVM SARDIVS
GRATIAM SVPERNAM DESCRIBIT
CVM LEMMATE ISTO:

FERT GAVDIA CORDI.

S*Ardius, qui* (teſte Dioſcoride) *in humano pectore lætitiam excitat, & gaudium accendere ſolet,* gratiæ adaptari poteſt, quæ diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, veram lætitiam, & ſpirituale gaudiũ generat in animabus juſtis. Turpitudini, quæ peccatum eſt letiferum, gratia ſanctificans, qua ad imaginem Filij Dei reformamur, non opponitut ex natura rei phyſice; alias poſt tempus à natura determinatum alterum illorum neceſſario deberet homini in eſſe; quod falſum eſt, cum poſſibilis ſit ſtatus naturæ puræ, in quo homo puris naturalibus relictus, & abſque gratia foret, & abſque peccato, aptus ad illius receptionem. Neque enim contrarie pugnant adinvicem; cum peccatum pro formali nullam entitatem poſitivam dicat, nec ſub eodem genere cum gratia contineatur; cum illud ſit de genere actionis, & habitus ad qualitatem ſpectet; Peccatum præterea eſt ordinis naturalis, gratia vero ordinis ſuperni; hæc ens phyſicum, illud morale. Ergo demeritorie ſolum ſunt incompatibilia ex Divina videlicet ordinatione; ac proinde de potentia Dei abſoluta etiam quoad actum poſſunt eidem ſubiecto in eſſe. Huiuſmodi gratia ſub proprio conceptu gratiæ nos fraliter juſtificat, non ex natura rei, ſed ex pacto, & lege Dei. Huius gratiæ participatione homines ſunt Divinæ naturæ conſortes non phyſice, ſed ſolum moraliter. Nullus certo, & infallibiliter cognoſcere valet, ſecluſa revelatione, ſe habere gratiam, vſque dum virtute huius præſtantiſſimæ petræ in gloria exultet in conſpectu Dei, & delectetur in lætitia.

SEP-

SEPTIMVM FVNDAMENTVM CHRYSOLITHVS CHARITATEM SVPERNATURALEM INDICAT CVM LEMMATE HOC:

IGNITA LVCE CORVSCANS FORAS MITTIT TIMOREM.


C*Hryſolithus, qui vt ignis ſcintillat, & in ſiniſtro latere geſtatus nocturnos expellit timores iuxta Berchorium*, charitatem ſupernam indicat, quæ vt ignis è Cœlo delapſus inflamat hominum corda, & teſte Apoſt. Ioan. epiſt. 1. cap. 2. *Foras mittit timorem.* Hæc eſt virtus in Divinum amorem voluntatem inclinans. Inter theologicas virtutes primatum tenet dicente Paulo: *Maior autem horum eſt charitas.* In voluntate ſubiectata à gratia habituali realiter non cecernitur; ab ea vel formaliter, vel connotative ſolum diſtinguitur. Primarium, & adæquatum obiectum eius eſt Deus, qua infinite bonus, atque perfectus ſecundum omnem rationem entis. Naturalis Dei dilectio ſuper omnia non differt formaliter in motivo à ſupernaturali; & quamvis in illo regno beatitudinis fides, & ſpes evacuentur, charitas eadem perſeverat, quæ in via erat indiſtincta à charitate, quæ eſt in patria, non ſolum quantum ad habitum, ſed etiam quantum ad actus; quia & ſi cognitio in patria ſpecifice mutetur, volitio ſeu Dei amor ſubeadem, quæ erat in via, ſpecie conſervatur. Charitatis actus à potentia libera medio habitu ſimul cooperante cum ipſa procedit, & ipſo actu in potentia recepto, medio, in obiectum tendit, vt operationem compleat. Hoc autem evenit iuxta communem providentiam, & lege ordinaria attenta; nam ſi Deus in ſuis decretis voluerit diſpenſare nulla erit implicatio quod Deus actum immediate producat, & in voluntate illum infundat, vt voluntas Deum libere à met, & velut Chryſolithus ignem amoris Dei in cordibus accendat, ab eiſque omnes expellat timores.

OCTAVVM FVNDAMENTVM BERYLLVS
ANGELICAM INSIGNIT CVSTODIAM
CVM LEMMATE ISTO:

IN GENTES EXCITAT AVSVS.

B*eryllus, qui pugnantes adiuvat, & valde animat ad pugnam, teſte Boetio*, Sanctos Angelos inſignire poteſt, qui nos adiuvant contra peccata & à malignis nos defendunt hoſtibus, pro nobis orando, orationeſque noſtras ad Deum reportando. Exiſtentia tutelarium Angelorum de fide credenda eſt, ſacra pagina, pluribus in locis eam evincente. Qui Deum negat Atheus, & hoc dogma deridet; ſed Saducæos Moiſis pentateuchum recipientes, in quo tam frequens Angelorum occurrit mentio, illis exiſtentiam negare, ſtupidius cenſemus. Erravit etiam Aviccena vnum Angelum ab altero creatum confingens: tu vero à Deo creatos non ambigas. Ait enim Apoſt. ad Coloſ. 1. *In ipſo condita ſunt univerſa in Cœlis, & in terra; viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates; omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Unde Concilium Nicænum in Symbolo dicens: *Viſibilium omnium, & inviſibilium* creatorem eſſe Deum, Manichæorum paleas ſuccendit, dicentium, Deum Cœlum, & terram, ideſt, viſibilia tantum creaſſe. Angelicis mentibus ſpecies Divinitatis, & Trinitatis deguſtandas ſupremus Dominus à principio indidit, vt poſtea fruendo, & intuitive attingendo penitus recrearentur. Vitam activa intelligendi eſt præditus Augelus, vt non ſolum gratiæ myſteria intuitive cognoſcere valeat, ſed etiam Incarnationis Myſterium iam extra cauſas poſitum. Cuſtodes hominum Deus Angelos deſtinavit; ideoque cuilibet ab inſtanti ſuæ Conceptionis in vtero Matris proprium aſſignavit Angelum, qui veluti Beryllus hominem in ſpirituali pugna adiuvet, vt ex nequiſſimis hoſtibus reportet victorias, & triumphales colligat palmas.

Pro tuendis his quatuor lapidibus vigil ſpeculator aderit ſupra offerens, ſub Caſtro forti, invicto ve propugnaculo R. P. Fr. FRANCISCI DE CASTRO, laurea jubilationis condecorati Magiſtri, Almæ S. Jacobi Provinciæ digniſſimi Patris, & denique in Collegio Hiſpalenſi D. Bonaventuræ Guardiani.


Ioann. Perez F.
Hisp. Anno. 1700.

CUNCTAS TOTIUS
NOBILITATIS REFVLGENTES
GEMMAS,

MELIORI, MAIORI, PVLCHRIORI, CLARITATE, & ſplendore ſuperanti Topazio; cuius egregias dotes, proprietates ſplendidas, & micantes virtutes panegyris nulla, clauſulis continere valet; inter tenebras miſeriæ Chryſopraſo micantiſſimo; cuius liberalitatis lux, & charitatis erga egenum, & pauperem flamma non eſt extincta in penuriæ nocte, ſed in tempore nubilo magis, ac magis ſplendet, & ardet; conſtantiſſimo, à nullo victo, invicto ſemper, præſtantiſſimo Hyacintho; in cuius inſuperabili duricie nihil proficiet inimicus, & cuius fortitudo, nec fortunæ blanditijs emollitur, nec adverſantium inſultibus frangitur; Purpura regia rubeſcenti Amethyſto, per cuius ſplendidas venas regalis ſanguis decurrit, fluit glorioſus, nimiſque fœlix:

EXCELL. D. D. MELCHIORI
OSSORIO, DAVILA, MANRIQVE,
ZVñIGA, ET GVZMAN,

MARCHIONI DE ASTORGA, COMITI DE TRASTAMARA, ET SANCTA MARTA, DVCI DE AGVIAR, ET MARCHIONI DE AYAMONTE, ET VILLA-MANRIQVE, CLAVIS AVREÆ COMMENDATO EQVITI, &c.

ET HVIVS MINORITICÆ, BOETICÆ PROVINCIÆ SVPREMO PATRONO,

P. FR. BALTASSAR RODRIGVEZ MONTALBO.

IN D. BONAVENTVRÆ HISPALENSI COLLEGIO Collegialis, ſuæ Provinciæ nomine, quatuor hos pretioſos lapilos, qui ſubtili ceſtro cœlati quatuor vltima fundamenta Scotici muri componunt, in antipelargeſis ſignum humiliter vovet, totoque cordis affectu dicat; & dum tanti Heri protectionem quærit, ita fatur,

IN MEDIO PLATEÆ EIVS, ET EX VTRAQVE PARTE FLVMINIS LIGNVM vitæ, afferens fructus duodecim per menses singulos reddens fructum suum, &c. Apoc. 22.

SERAPHICA HÆC TVA VANDALICA EPARCHIA (Potentissime Princeps) tuæ Altissimæ protectionis virtute obumbrata, lætabunda, & laudans sub vmbra illius, quem desideraverat quiescit, & fructus largitatis tuæ dulces gutturi eius, dum capitulariter Congregata vnitas, adunata civitas de tua liberalitate percipit amnonam. *In medio plateæ eius* (ait Joan.) *& ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, &c.* En (Domine mi) perillustris tuæ domus excelsa genealogica arbor; quæ tamquam lignum, quod plantatum est secus nobilitatis aquarum decursus fructum suum honoris, & honestatis, in omni tempore, per menses singulos tribuit. Insurgant ergo vel gelida invidia, vel æmula glacies, vel ventorum inimica tempestas, non timebit á turbine, securum suis consistet radicibus; folium eius non defluet, semper florens, virens semper durando sæcula vincit, vel vt decantat Philoteus.

Dum furit effusis violentior Æolus austris
en virgulta sibi deteriora timent.
Sed firmata suis perstans radicibus arbor
excipit atroces, si fremuere, notos.
Illa, suo defixa loco non flectitur euro,
non timet, vnda, tuas, nec timet, aura, minas.

Super omnia ligna Cedrorum procera, augusta, præclara, tu sola excelsior arbor vna nobilis; silva, talem, nulla protulit fronde, flore, germine. Quot, & quam pulchros hæc tua arbor decora, & fulgida, regum, & imperatorum ornata purpura, protulit ramos. Quocumque inflecto aciem passim conspicio in hac eminentissima arbore virgulta splendida, Comites, Marchiones, Duces, Præsules, Legatos, totius Regni Guvernatores; & si altius antiquitatis retexo seriem ipsos incido in Reges, huius præclarissimi ligni satores, & altores; quibus omnibus (Excellentissime Princeps) splendore, nitore, dotibus, supereminens, gestis; illosque collustras, nobilitas, & velut florentissima Corona cingis, ornas, & decoras. Ad huius arboris vmbram jure optimo confugio dum propugnaturus agredior; nam quondam milites arborum vmbras tutelares quærebant, & triumphantes arma, & spolia in arboribus suspendebant, sub quibus simul solatium, & requiem requirebant post triumphum; ideo Maro sic pangebat:

Hæc arma, exuviasque viri tua quercus habebit.

Vnde olim ad lites judices arboris vmbram selectam quærebant. Testatur Debbora Israël judicissa sub palmæ vmbraculo ad judicandum sedens. Obfirmat Xerxes sub Platano judicans, litesque decernens. Denique filij Israël in deserto militantes ex arborum ramis tabernacula conficiebant. Igitur dum ad pugnam litteralem pergo ad tegmen contra æstuantem notum, contra lassitudinem ad requiem, ad tutamen, ad armamentarium adversus incursus hostiles, sub tuæ præexelsæ arboris vmbra (collendissime Domine) recurrere cogor; vt ex illa non solum contra inimicos arma capessere possim, sed ad ornamentum, & coronam flores legere queam, dum hæc tua Bœtica Provincia ad vitam, ex tui vitæ ligno colligit victum. Flecte ramos arbor alta, & sub vmbra tua protege me:

Sic tua, Nestoreos lachesis producat, in annos,
tempora, sic carpas, gaudia longa, vale.

NONVM FVNDAMENTVM TOPAZIVS
INCARNATVM SIGNIFICAT VERBVM
CVM LEMMATE HOC:

BINVS, ET VNVS.

T*opazius lapis splendens, omnium gemmarum superans claritatem, cœteris maior, & pulchrior, aspicientes delectans, & iuxta Glos. duplici refulgens colore,* Christum Dominum, ex Berchorij mente significat; cuius est splendor gloriæ inæstimabilis, quia omnium creaturarum superat claritatem, nam præ sui æterna pulchritudine aspicientes beatos in patria, & contemplativos in via afficit, & delectat. Hic enim est cœteris dignitate maior, binoque splendet colore, candido, & rubicundo; in vna scilicet persona geminas naturas, Divinam, & humanam nexu hypostatico, ac prorsus admirando conjunctas habet: quod si aliquam ei negaveris, aut ad ipsarum dualitatem etiam personas duplicare volueris, Soli æternæ veritatis oppositus, & tanquam palea succensus, Cherinthi, qui Christum purum hominem asserebat, & Nestorij, qui in duas ipsum personas, in duosque filios, accidentaliter tantum, affectu quoddam amoris, & charitatis specialis invicem vnitos; quorum alter Jesus verus Deus, huiusve filius naturalis, alter vero Christus purus homo, nil habens in se Deitatis, esset, dividebat, cineribus adiungeris. Huius vnionis hypostaticæ, Divinæ, & humanæ naturæ in eodem supposito, qui negaverit possibilitatem, Paganis, Mahumetanis, & Judæis manum dabit. Ineffabile quidem semper tibi occurret hoc mysterium, nunquam tamen vlla ratione impossibile persuadebitur. In hoc enim Sacramentum istud constituitur, quod Verbum æternum humanam assumpserit naturam propria existentia existentem, licet propria orbatam subsistentia. Ex quo velut Topazius Christus Dominus est binus, & vnus; in persona vnus, in natura binus.

DECIMVM FVNDAMENTVM CHRYSOPRASVS

DIVINA SIGNAT AVXILIA
CVM LEMMATE ISTO:

IRRIGANT ANIMAM.

CHrysopr asus , qui lapis est aureis guttis inspersus, auxilia Divina in punctis aureis repræsentat, quibus tanquam guttis , vel Cœli rore madefiunt animæ , & corda molliuntur. Deus erga peccatores pijssimus plura illis præstat auxilia, quæ triplici nobis differentia communicat. Alia sunt per modum mere actus secundi , & hæc fiunt in nobis sine nobis, potentijs erga illa passive se habentibus; quæ iam illustrationes, si in intellectu, iam inspira tiones, si in voluntare recipiuntur, vocari libet. Alia sunt auxilia adiuvantis gratiæ , qua Deus vt compartialis causa physica cum creatura rationali concurrit ad actus supernos , naturæ vim superantes, eliciendos. Auxilium in communi vulgari divisione fit insufficiens, & efficax. Sufficientis essentia in præparatione Divini concursus, seu in executiva potentia Dei per modum actus primi considerata, & præparata ad concurrendum cum creatis potentijs ad actus supernaturales consistit. Efficacis auxilij essentia , cui infallibiliter executio comitatur non in physica aliqua qualitate , aut entitate à Deo producta, & in voluntate recepta, ponitur ; nec in vocationis congruitate consistit,sed in absoluto Dei decreto per modum actus secundi considerato adstruitur. Nullum auxilium physice prædeterminat nostram voluntatem , determinatione actum liberum antecedente; immo facta compositione auxilij efficacis cum humana libertate in actu primo potest ei creata voluntas resistere, quin ad hoc obstet infallibilitas effectus ex auxilio efficaci proveniens,cum hęc infallibilitas nec ponat necessitatem antecedentem, nec destruat liberum arbitrium creaturarum. His ergo auxilijs, tanquam aureis guttis creatura rationalis respersa Deo vivit, & vt Chrysoprasus miris virtutibus viret.

VN-

VNDECIMVM FVNDAMENTVM HYACINTHVS MVTABILITATEM CREATVRÆ OSTENDIT CVM LEMMATE HOC:

NUNQVAM IN EODEM STATV PERMANET.

H*Yacinthus, qui aliquando mutat colorem, ut ait Solinus*, creaturam dum eſt in via, & in gratia non confirmatam figurat, quæ non ſemper in eodem ſtatu permanet. Hæc mutatio tam Angelos, quam homines comprehendit; quia tam iſti, quam illi in via mutabilitati ſubiecti fuerunt. Angeli boni potuerunt peccare in primo creationis inſtanti. Per primam Dei dilectionem, poſt inſtans creationis fuerunt in gratia confirmati de facto. Angeli vero mali, qui non ſervaverunt ſuum principatum poſt primum peccatum obſtinati ſunt in malitia. Hanc obſtinationem non oriri ex naturali, & omnimoda inflexibilitate voluntatis, quam habent poſtquam ſemel aliquid elegerunt, ſed ex carentia auxiliorum Divinæ gratiæ, quæ illis Deus iuſte denegat ratione ſtatus, cum Subtili Magiſtro defendimus. Homo vero viator ſemper mutabilis manet; per primum actum virtutis non confirmatur in gratia, nec per primum peccatum obſtinatus remanet in malitia. Arbitrij ſui defectibili mutabilitate in varios homo migravit ſtatus. Nudatus juſtitia originali à ſtatu innocentiæ in naturæ lapſæ ſtatum, & tandem reerectus in ſtatū naturæ reparatæ tranſivit. In ſtatu naturæ lapſæ remanſit in homine liberum arbitrium, ante recuperatam gratiam ad actiones quidem naturales, illa verò recuperata etiam ad ſupernaturales; quod non in actu, nec in habitu eſt reponendum, ſed in potentia indifferenti ad agendum, vel non agendum ad hoc, vel illud agendum; qua poteſt homo velut Hyacinthus mutare colores, ex candore gratiæ ad peccati nigredinem tranſeundo.

FVNDAMENTVM DVODECIMVM AMETHYSTVS

BEATITVDINEM DEPINGIT SVPREMAM CVM LEMMATE ISTO:

GESTANTEM REDDO FOELICEM.

A*Methyſtus, qui ex Rueo, proſperos, ac fœlices reddit geſtantes*, fœlicitatem æternam ex Tirini ſententia declarat, ſupernaturalem ſcilicet beatitudinem, qua iuſti in Cœleſti patria fœlices nimis in æternum vivent. Et quamvis dicatur: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te*, beatitudinem tamen principalius in fruitione, quam in viſione reponimus. In illo fœliciſſimo beatitudinis ſtatu tanta gaudent fœlicitate beati, vt Deum, quem in via per ſpeculum in ægnimate viderunt, facie ad faciem ibi intueantur. Quamvis enim omnes in patria de facto videant quæcumque formaliter ſunt in Deo, in viſione non ſunt æquales; quia cum hæc ſit beatorum præmium ipſorum meritis commenſuratur. Ad viſionem eliciendam intellectus creatus impotens evadit; quia cum Deus lucem inhabitet inacceſſibilem, nimio ſplendore ſuo, noſtræ mentis aciem obtundit; ideoque intellectus noſter ad videndum Deum clare elevatione indiget, lumine quidem gloriæ, cum quo præſtat concurſum immediatum in viſionem beatam partialiter. Ex quo lumen gloriæ non eſſe totam rationem agendi bene colligitur. Poteſt quidem beatus vitaliter intelligere per intellectionem à ſe non productam; immo per intellectionem Divinam operarari poteſt, ſi ad aliam providentiam recurrimus. Impeccabiles ſunt beati, non per viſionem, ſed ex manutentia Dei. Ergo tu beatitudini promerendæ ſtudioſus eſto, vt amiſſa in Cœleſtibus deficiendi libertate tanto liberior evadas, quanto Divina manutenentia fulcitus minus ad deficiendum liber eris; & ſupremæ beatitudinis Amethyſto corotus, ſummo fruens bono, cum tuis concivibus valde fœlix in æternum vivas. Amen.

Harum quatuor gemmarum pugnax propugnator exiſtet, qui ſupra Sacrat, ſub Romano propugnaculo, validaque tutela R. P. Fr. ANTONIJ ROMAN Lectoris Jubilati, & in Cœnobio S. Sebaſtiani martyris, Carmonenſi, vigilantiſſimi Præſulis.

